

Instrumenti parte, & obseruabis earū concurrentem punctū. Inuentis duabus his notis, expandes circinum ab una nota in aliam, & acceptam intercapedinem applicabis scalę miliarium, & inuenies distantiam in miliaribus Germanicis. Quod si duo loca in longitudine usq; adeo distiterint, ut medietatem differentię longitudinis in ipso instrumento inuenire nequeas, accipe medietatis illius mediam partem, id est, quartam partem integrę differentię longitudinis, & serua eam. Deinde subtrahe minorem latitudinem à maiori latitudine, & relicte differentię quartam partem adde minori latitudini & subtrahe à maiori latitudine, quo facto, ages cum quarta parte differentię longitudinis & cū duabus latitudinibus rectificatis, ut prius egilti, quando cum medietate differentię longitudinis & integris latitudinibus instrumentum ingredi iussus es. Miliaria tamen quę ex hac operatione proueniunt sunt duplicanda. Exemplum. Cupio scire distantiam quę est inter Basileam & Hierosolymā, & Basileę quidem longitudinem inuenio gradus 28. m. 0. Latitudinē uero grad. 47. m. 10. & Hierosolymę longitud. 66. grad. m. 0. latitud. autē grad. 31. m. 40. Subtrahę minorē longitudinē à maiori, colligo differentiam 38. graduum, cuius medietatē, nempe 19. gradus cū latitudine Hierosolymitana grad. 31. m. 40. quæro in dextra parte instrumenti & facio punctū. Deinde eandem differentię medietatem cum latitudine Basilen. grad. 47. m. 10. quæro in sinistra parte instrumenti & facio notam. Inuentis duabus notis, excipio circino distantiam earū, applicoq; circinum sic expansum scalę miliarium & inuenio miliaria Germanica, quę sunt à Basileā ad Hierosolymam circiter quingenta.

